TYPUS REGIÆ FELICITATIS

Pace Gloria & Coniugio

SERENISSIMORUM PRINCIPUM

VLADISLAI IV

Poloniæ & Seciæ Regis

Inuictissimi, &c. &c. &c.

ET

LUDOVICÆ MARIÆ GONZAGÆ,

Cliuiæ & Niuerniæ Ducis, Principis Mantuæ & Montisferrati.

DUM

IN POLONIÆ & SUECIÆ REGINAM,

RITU SOLENNI INAUGURARETUR.

PER

Vladislaides Musas submissæ Venerationis ergo

ADUMBRATUS

D. D. D.

Crac: Typis Piątkowianis A. D. 1646. Iul: 15.

Ad Illuſtrem & Reuerendiſs: Dominum,

D. IOANNEM GEMBICKI,

SECRETARIVM REGNI MAIOREM, Decanum Cracouien. Præpoſitum Miechouień. Generalem. &c. &c.

IN publica hac Poloniarum lætitia, debuit Tuum quoq; hic inſidere Nomen, quod Secretioribus Regni curis conſecratum, nobis ad Sacræ Regiæ Maieſtatis Aures iter ſternit; Illuſtr. & Rn̄diſſime Domine. Admiratio tantæ Pacis, Gloriæq; Amplitudo, hoc præſertim Connubij Nexu fortunata, cui tandem imperare poſſit ſilentium? cui vt olim ex Nodo Gordio, non liceat augurari Felicitatem? aut quis in aduentum huius Alexandri Orpheus non ſudaret? Neque vero tenui Camæna ego profanare Regis Optimi facilitatem præſumebam, ne læſæ Maieſtatis accuſarer, ſed cum me quoq; Vatem fecerint Vladiſlaides meæ, æternis Sereniſsimi mancipatę beneficijs, nolui committere, quin velut Anſer inter olores adſtrepere ſaltem; vel ad ampliſsima aliarum Gratulationum Congyaria, volam Aquæ Hyppocrenę, quaſi ipſe ſemipaganus, ad ſacra vatum carmen afferrem noſtrum. Permittes igitur Reuerendiſſ: Domine, & noſtrę tenuitati, ſi quid peccatum eſt, condonabis: Vladiſlaorum & Gembiciorum nomina nobis Numina ſunt, hæc, ſi deſit facultas, gratâ voluntate venerari libet: ad quod illa Tua, quam vel ignotis præſtare ſoles, Humanitas nos inuitauit. Deus interim. O. M. Regno; Te, huic & Academiæ incolumem, ſeruet, & emeritis Honoribus adaugeat, vt nouę Tuę Felicitati gratulabundi, quàm citiſsimè deſeruire poſſimus. Ita voueo & opto.

Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. T. D.

deuotiſsimus,

M. Ioannes Racki,
Rhetoricæ Collegij Vladiſlauiani
Profeſſor.

VATES.

ABsiste Vulgus, nil tenuem iuuat
Inflare buxum. Te speciosiùs
O Phœbe cum plaudente Cyrrha
Magna modis simulare miris
Reposcit orbis. Regificis, ohe
Descende cælis Calliope, licet,
Seu voce nunc mauis acuta
Seu fidibus Cytharâue Phœbi.
Subter Poloni marginė Vistulæ
Inusitatæ vocis amænior
Intende Vates. quam vel imis
Sol Oriens, moriensq; terris
Vel quam remotas Auster in Insulas
Ad vsq; Thulen miserit; euolans
Volentis audiri sonabis
Lechiacæ decora alta laudis.
Auditis? Io Cælituum micant
Audita Septem Castra Trionibus;
Ter hinc Chorearum ter inde
Intremuit Iouis Aula plausu.
Fælicitatis mater & otij
Hùc inuidendo fædere nobilis
Pax alma risit: risit ingens
Fama. redux Hymeneus vtramq;
Indissoluti Carmine vinculi
Coniunxit; ohe! quin generosiùs
Nos rite Diuorum phalanges
Cominùs excipimus Triumpho.

Adeste Diuæ: Sarmatici incolæ
Diuæ Trionis: ite fauentibus
Fatis, superuentura fausto
Sæcula deproperate fluxu.
Hinc illa centum vocibus, & sacro
Petita centum Vatibus ambitui
Arctoa Terrarum beatrix
Regna per & populos feretur
Regina Virtus. ô bene Faustitas
Secura pacis rura tuebere,
O meta Votorum! ô Polonæ
Gloria præsidiumque Gentis!
Jo Triumphe: tum populariter
Ridebit Echo. qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro
Quà refluus rigat arua Nilus.
Io triumphe! Lechiacæ diu
Gratentur oræ Pacis adoreas,
Plaudantq; ringanturq; vasta
Americes Asiæq; regna.
At tu Paterni non sine Numine
Seruator Orbis Maximè, Maximè
Rex ipse Regnatorq; Regum
Et Patriæ pretiosus author
Felicitatis. Viue Tuum super
Polum, videri lenis, & ætheris
Sublimis Hospes. Vota Mundi
Nos solito renouamus ausu.

REGNA VLADISLAE REX,

Inui-

Inuictiss. regna feliciter & diutissimè; Serenissimę Coniugis Voto, Securitatisq; huius publicæ authoramento obligatus. Nimis equidem Bonis Auibus Regni Tui auspicia consecrata fuerunt, lustrata, expiata omnia: dictum Feliciter, & applausum est; ex quo tantam Tui Sarmatæ sentiunt in se deriuari felicitatem. Sceptrumné an Fulmen veriùs Regnatrix illa Iouis Lechiq; volucris Tibi inaugurauerit, dubites non immeritò. Certe in ardore bellorum, hæc pacati orbis mutuatio, dexteræ excelsi, Tuæq; diuinæ Virtuti tribuenda est. Non contagione aliqua frementis vicini Martis infici vel affici Poloniam, nulla antiquitas crederet Monarchæ, quantumuis Magni vel Maximi opus; ni homine, quidpiam maius, Numen recogitet VLADISLAVM. Pridē mundus erubescit, ita pollutus sanguine, vt vix nomen retineat. pridē vel in sanguine Augusto desiderat Augustos! Dijs certe, quos mirando prisca fecerant sæcula, nusquam tāti stetit victoria, nusquam in superis eorum vbi beati æuo fruuntur sempiterno, tantæ pacis Visio apparuit, quin vel è terris Gygantum terrore, vel ciuilibus quandoq; diffidijs armari mutuò cogerentur. In Vrbe Orbis, rerum

Domini, genſq; ImperiiTogata quoties Sagū rapere, vel in media pace debuit? quoties foris hoſtem non ſentiens, domi inuenit; vt pro felicitate pugnaret? Adeo nullæ Ciuitates magnæ, Reſpublicæque nullæ diu quieſcere poſſunt. hæc miſera Regnorum conditio fuit, bellis pacem paciſci. Infelix eo nomine Vrbs, cui Octo illi ſomniati Curſus vix ſæculis ſeptem diſtinctis, integritatis florem attulerint. Felix Polonia, quæ interuallum illud, qui numerus fere omnium nodus eſt; feliciter tranſegerit. Fatorum etiam arcana mouere & ſcitari libet! eunte quippe in præceps imperio, danteq; exitu ſuo varijs Regnis initia naſcendi, melioribus quam Vulturum, nidificantis Aquilæ auſpicijs, caput Lechia extulerat. Hinc illi bellorum fulmina Septemtrionis Sarmatici bellatores. hinc, barbariæ domitores Iagelonidæ. Fama etiam ſuper æthera noti Tonantes Poloniæ, qua bellis fulminum hæredem Aquilam, qua pacis alumnā Cererem præferentes. Neque vero Septētrionalis tantum Mars, aut furens Hercules ad arma ceſſantes ad arma Lechiadas concitat, Muſagetē illū nobis fuiſſe ſęcula demōſtrarunt: Licet extra ſydera tellus placet tamen ſua Lechia Phæbo, quem decennouennalis

Cyclus

Cyclus hactenus Hyperboreis reducebat, (inuideat licet Metiochus) Huic & Musis domicilium columnasq; extruxit Sapientia. Quid vltra? Venimus ad summum Fortunæ: nulla vsquā Ornamenta imperij vidit ætas, & nusquam Poloniæ maior magnitudo! quam sub Rege, cui Virtus, Fama, Laus Gloria, Orbis amor, diuina atq; humana omnia, tributario iure famulantur. Nunc demum intellexit Orbis terrarum VLADISLAO REGNATORI; Quartò, post hominum memoriam Ianum bellis occludere; in fatis fuisse, illi hoc omen in nomine sua fata seruarūnt: vt feliciori longè auspicio, quam tres illi Pacificatores, bella & furorem impium, intùs sæua super arma sedentem; clausisset. Enimuerò ne omne illud, an omen? trinum perfectum crederemus, florem alioquin suæ Romæ ementiens Encomiastes; Peracto bello (ait) secuta est breuis sanè, ad recipiendum quasi spiritum requies, argumentumq; Pacis, & bona fide cessantium Armorum, clausa Porta, quæ statim ac sine mora patuit. Extremæ quoq; pacis eius pretium, an non Triumuirali excidio stetit? quis non illorum sanguine pinguior campus? qui gurges, aut quæ flumina lugubris belli ignara non testantur? quàmuis ex illis orbis

bis vix enatans angustijs Augustos adorauit. Primo certè Rex Inuictissime Tibi, quartò claudenda bellis Porta debebatur, vt potè qui quadam fatorum industriâ gubernante, feroces superstitione populos, velut ille Tuus, tam Poloniæ, quam Romæ secundus Rex, metu Deorum mitigares. Ob hæc tanta tamque ingentia facta, num vsitato IAGELLONVM more subscribi statuis, & dici Patriæ Pater, an dũ etiã Terras incolis, sanctiori nomine Augustus consecrari deberes, deliberat etiamnum Orbis, nec in tantis bellorum tumultibus sese corrigere potest, quin obstupescat. Prô Deum immortalem? quæ bella exausta canebat Europa, quanta ruinarum ruinâ, quantis exercituum inferijs, assiduò Paci litabat vt veniret. Haud facilè deprehendi potest quis ille infelix Cadmus, genimina viperarum, ferali manu per terras disperserit, quisnam ille venena Colchica, quis dentatos homines, superseminauerit inimicus. Odiosa circumquaq; bellorum monotessera Mars & mors perstrepunt, nec vicisse sufficit ad victoriam, nec vinci ad belli exitum, ex ipsis mortibus Viri ferrei enascuntur, quòquò aciem oculi conuerteris (heu Sæculi infamiam!) velut hydræ capita, per damna, per cædes, ab ipso ferro, o-

ro, opes animosq; deducunt. Verumenim uerò, iuxtà hæc apposita Poloniæ, melius elucescunt. Felices & iterum felices sua si bona norint Lechiadas! Quæ fortassis vltima cælestum terras Europæ reliquerat, in has insulas Sarmatiæ fortunatas Pax deportatur. Felix iterum Polonia, in qua sub Cl peo Regis Inuictissimi, tam diu pacis negotium successit. Ter Augustus VLADISLAVS, quo mūdi Caduceatore, nouo potentiæ prodigio, Ianus in suo templo, captiuus fulminum hæredi Aquilæ Aquilonis claues credidit, portamque resignauit. Musæ VLADISLAIDES gratulabundæ, Sui, & Pacis tantæ excitatori VLADISLAO, pro Sponsali Serto Laureas; Ciuicas Murales; Obsidionales, Vallares. ad Ædem Pacis offerendo, æternùm obligati in Regem Inuictissimum affectus; affigunt hoc metrum.

Quæ Tibi quæ tali demus pro munere dona?
Quâ cæli vis parte tuos fulgere labores
Alcides Lechiæ! iuuat immemorata ferentem
Cælitibus terrisq; legi, manibusq; teneri.
Posteritas admitte fidem! miraberis olim
Sanguineos inter populos, belliq; cruores
Luctus vbiq; & vbiq; pauor, feralis Enyo
Sæuit, & à nullo reuocatur Cardine ferrum,
Sola polos æquans, cognata Polonia, sola

 Luctan-

Luctantes ventos tempestatesqué sonoras
Bellorum, mediâ tranquillans Pace serenat!
Inuenit spes nostra viã. PLVS dicimus VLTRA!
Quà surgunt rutiliqué cadunt Hyperionis ignes
Lechiadum se tollit honos. Ab ipsa laborat
Gloria: non vnus nobis quoqué sufficit Orbis.
Vicimus, erigimur, facilis iam copia mundi
Nullus ab hoste timor. Ligeris tũ Sequana plau-
Orbis iter quo fama vehit nomẽq; decusq;. (dunt
Anne humiles repetũt cælestia Numina tædas?
Perq; hominum gaudent iterum consortia summi
Ire Ioues, Lechicæqué patent Iunonibus aulæ?
In quorum nutus animis concordibus vltro
Conspirauerunt Cæli Terræqué Fauores!
Europæ prælustre iubar VLADSLAE gementis
Dijs genite & geniture Deos, iure omnia bella
Gente Jagellonicâ terris regnante fatiscent:
Tu Patriæ decus omne: solo tu maximus Atlas
Tu trepidos olim validis ceruicibus axes;
Nutantesqué polos audax impune tulisti
Per Te Lechiacis creuit reuerentia Sceptris,
Per Te de terris fugiens Astræa, recurrit,
Per Te creuit honos Altaribus, impia per Te
Hæresis excessit, per Te redit aurea mundi
Progenies. Per Te redeunt Saturnia sæcla
Et quibus, inferius paribus concurrere Votis
Nomen, & à nullo reperit Fortuna metallo.
Victor Io: bellator Io: REX maxime Regum
Æternos grato retine sub pectore Fastos.

Parum

Parum erat puræ Pacis limitibus, Poloniæ Tuæ definire felicitatem, Rex Potentissime: pacis equidem dulce nomen est, & rem ipsam tùm iucundam tum salutarem cognôras, quâ non modo ij, quibus sensum natura dedit, sed bruta etiam, atq; agri lætari videntur Cæterum pace suspecta, tutius bellum semper fuisse, quid ni tacitus ille licet, nomine tenus, arma inclamaret? prædiceret? Pax ne illa tādem an pactio Seruitutis est, quam cruentis redemptam funeribus feriunt, corrigentes Europæi! E áne pace populorum excidio partâ Sarmatæ Tui perfruuntur? Num Cremere fluuium, vel longè sonantem ad Cannas Aufidum, an Caudinam Veterum pactionem, nostræ pacis Mnemosynon faciemus? Deum bonum! sanguinis Humani plerumq; diluuio submergi, & dehiscere bella audiuimus, nonnūquam, vbi gentium solitudinem, fecerint, pacem tandem vel ex Mortibus ortam appellari scimus: at cum redibit ad fastos memoria, & fulgor hic, præstringens vicinæ oculos inuidię, superabit: tunc serio meliore iudicio, posteritas discet pacis nostræ pretium æstimare. Silent etiam num hostes Poloniæ, silent: sed quo magis silent magis loquuntur. Quid plura? Fama orbis Vladislauiani Nominis pedisse-

dissequa, secundo Elogio; hanc Pacem adeò deprædicat armatam: vt nullis vnquam retroactis sæculorum sat fumosis imaginibus inũbretur. Authoritas Regis anima Regni! Quidquid agere arma destinarent, agit priùs Maiestas armorum, priùs omnes bellorum tempestates differenat, quippe quæ tantùm inclaruit, vt sola Orbis bello fessi asylum sit, vt à nulla potentia vinci par, vel superari posse videatur. Adscribant pleriq; principum Palatijs domesticam versatilem Fortunam: adoptiuos se Deæ istius glorientur. Pullos Seruij, Obsequentis & Primigeniæ ostentent. Multi Syllæ felices, multi Pompeij triumphatores, Metelli multi beatulos sese iactitẽt: plurimum his locorum opportunitas, maris & terræ auxilia, plurimum solidæ laudis detrahunt, maximam verò rei gestæ partem, quasi iure suo fortuna cæcutiens sibi vendicat, & in societatem gloriæ, inuitis se offert. At gloriosissimus Bellator noster, sui laboris opus Fortunã profitetur. Alienos crederet Triumphos, ad quos sola eius felicitas ius haberet, manu vbiqueeã promouet, Fortunãq; nõ nisi cognominẽ suæ Fortitudini probat, demonstrat! Parce metu Polonia Regem VLADISLAVM & fortunam eius pro Cæsare vehis! Iam cuncta terrarum

rum subacta (acclamabat illi Victoriæ antiquitas) atrocem animum Catonis, inuidit gloriæ illius Fama. Nunc verò; orbis iudicio; Mars ille Laconum in vinculis; ne fugeret ἀπτέρος Niki; Atheniẽsium; ne avolaret, Fortuna viscata Imperij, an non cum Latio & Academia, spretis, vt quondam Athenis commigrârunt? an non beneficentissimo huic Victori cuperent ipsi seruire Catones? Neq, verò exaggerabiturFamæ magnitudo, quâ Maximus Rex impleuit vniuersum. Hæc Principis Optimi Sors eualuit vt linguis omnium celebretur: illi insatiabilitèr parata prospera sui memoria calamos & ora cunctorum fatigauit, illaq; tandem extorta est summa laus, cõmunis Scribentium confessio; plus Vladislavm egisse, quam se percensere numerando posse sperarent. Quid ni etiam desperarent? Non si (vt vatibus, hic mos est) non inquam si linguæ cẽtum, Oraq; centum ac ferrea vox adesset; sæculi sui delicias Vladislavm ex dignitate immortalitati consecrarent. Æternitatis alicuius arrhabonem mirabitur post posteritas, à teneris vnguiculis Adolescentiam Regis, ad Spes immensas succrescentem, in Magno statim Moschouiæ Titulo pueriliter prælusisse, Iuuentutem in minuendis Otho-

maniciCæli cornibus desudâsse. Quid iterū Moschi, vel mersi sanguine, vel clementi seruati Victoria? Quid Prussia liberata? Quid Tartari? ferreis edomiti minis, an non victoriosissimum Regis & suæ Poloniæ nomen fama commemorabunt? Difficile dictu est quam Martis olim bellorumq; sedes Sarmatia, ægide quadam nunc Togati Principis tegatur: cuius vel aspectu, solo in metum lapidiscere hostes, vel contactu, quasi Aræ Apollinis profanatæ, Nemesi quadam vindicante deprimi; necesse sit. Quo circa de felicitate, vt de potestate Dei, timide & pauca dicentur. Est illud quiddam summis Heroibus, ad amplitudinem & gloriam connatum; est ad res magnas benè feliciterq; gerendas diuinitus adiuncta fortuna, quam de se quidem ipso præstare rarò, commemorare de altero cuiuis licet, cum libet. Fauebunt benigna Fata, huic diutius felicitati, & semel explorando, an Polona virtus Martis & Togæ imperium mereatur; procurrentis Famæ cursum non suppriment. Equidem vt dicatur, quod rumores omnium coniiciunt, virtuti & Fortunæ certantibus, hæc Poloniarum amplificatio lite suspensâ conceditur. Hæc nupèr (vt ille ait) Persis & Assyrijs desertis, cum leuitèr præter-

uolasset Macedoniam, Carthaginem sæpenumerò digressa fuit: tandem transmisso Tyberi ad Palatium appropinquans, alas deposuit, talaria exuit, atq; ita Romam intrauerat, quasi mansura perpetuò; Certè nunc recta ex oriente, in occasum, omnis splendoris peruagata: & exhinc ad Septemtrionem nostrum di uertens, in Polonia tandem orbis periodo sedē sibi collocauit. Pinxerit eam Bupalus Polum in capite erecto ferentem, Pindarus ipse, vel quis quis Pindarum studet æmulari φερέπολον Fortunam; vt ferētem Poloniam deprædicet: Hæc Optimi Principis nostri merces est, Fortunam & Famam nomini suo vectigalem regere arbitrio Hic illud Capitolli immobile saxum; ego quoq; futurum velut anser inter olores ominabor. Atq; vt hæc omnia secūdet auspex Deus, magis, quam ad Camilli quondam Famæ. & ominis Poloni templa, mearum VLADISLAIDVM carmen affigo.

Ibit Lechæi maximum Sceptri iubar,
Quo terra crescit porrigi,
Ibit Liburnis inter alta nauium,
Interq; siderum vias,
Beatus ille, qui procul negotiis
Ciues Laresq; fert suos.
Siccine Poloni? maximum Regnum, Soli
Vt prisca gens mortalium,

Ducunt

Ducunt fremente Gloria dies suos;
Nulla metuentes tristia?
O erudita Temporum tradux, feres
Quæsita multis Gloria?
Dices per omnes orbis olim cardines
Atq; per inaccessas plagas,
Sonante buxo nec tumentibus labris
Arctoa dices sæcula.
Quid noster ille parturit polus; quid est
Mundi sequester angulus
Vt sempiterni vere Maij cingitur!
Vt iure cælos æmulus
Aequauit; omnes aureis Lauros comis,
Ferace proferens solo?
Polonus (eheu exteri negabitis)
Immancipatus Gloriæ;
Nec excitatur Classico miles truci
Nec horret iratum mare
Paterna rura bobus exercet suis
Messurus agris Laureas!
Io triumphe! Magne Rex, horum omnium;
Author quietis Lechicæ,
Io triumphe; nec Jugurthino parem
Bello reportasti ducem,
Neq; Africano, cui super Carthaginem
Virtus sepulchrum condidit.
Sero Deorum Sydus illuce Polo;

DIV POLONIS GLORIA.

Pacem quoq; internam pactosq; Hymenæos in partē felicitatis assumere libuit Optime Rex

Rex, quos dubitaretur vtiq; nūcupari posse Felices, nisi secundos videremus. Exhorruimus fateor, ineluctabiliem fati violentiam: cū grassante nuper Libythina, renatam Sarmatiæ felicitatem, è theatro orbis Christiani conuolutam, in ictu quasi oculi, à nobis abire conspeximus! O diem illum mæstissimum! O spes mortalium fallaces! quæ Regni huius orbitatem conspexistis. Videbamur equidèm supra mortalitatis leges exempti, meliori vitæ conditione in Domino nobis renati fuisse: quod ipsum *Deposito Mortalitatis* peracto postmodùm testabamur. Licitari & litigare cum superis placebat, fidem quasi eorum implorando, tamdiu, donec veluti ex syngrapha debiti Reos Cælites, ad secunda Vota pro nobis iteranda transiisse videremus. Ecce verò gens super cælestis minimè fallax, promissi fidem, præstitit: ne vel in quadrantem minimum, nobis obligati tenerentur. nobis Patronam: Regi Optimo Throni & sceptri consortem, Regno Reginam, etiam aliquid de suo dementes prouiderunt. At qualem Reginam? Dij Boni! hoc tantum ad plenum Felicitatis Europę cumulum defuerat, vt expectatâ ludorum vice poli & Poloni tholi cognominem; submissâ Maiestate; Reginam Spectaremus! Age verò Serenis-

renissima LVDOVICA MARIA, quæ Tua mens? quæ cogitatio animum occupauit? nõne Cælorum Reginam ineffabilem, iubentem se appellari Reginã Poloniæ audiueras? Audieras & fama fuit, sed tela inter Martia illius oraculi miraculiq; fidem exoleuisse arbitrabantur & inuidebant vniuersi, quoadusq; fatis nouorum sæculorum texturam ordientibus, mutuone Cælitũ ludo, vicene Reginalis agnominis iocosâ, spes & vota cælitum compleretur. Gratissimo iam iam celeres otio vento sobruat Nereus Balthicus, Fluuiorum pater, hic vistula noster campos per omnes spatietur: vt bona canat auspicia, VLADISLAIDVM choro nobis in verba præeunte. Bonâ ducis aui Domum, Optime Rex, Diuis propitijs Reginalem Poloniæ Thronum obfirmas, Te multo recreat Gallia comite, coniurata Tuis plaudere Nuptijs, & Regno per Te, per Te inquam florentissimo. Nescio quis felix Paranymphus, orbis Sarmatici fata, & populorum suffragia, in eam pellexit Domum: vbi quasi dote publicâ viri viris, & Regna Regnis, in amorũ armorumq; societatem coniunguntur, ad Europæ tranquillitatem & Asiaticæ barbariæ vim sarciendam. Quid ni hoc iam sperare liceat? Nobis res & exempla prò Augurijs sunt, Palæstinæ & Valachiæ

chiæ Bella militant, hinc vindicatam, ibi recuperatam Crucis victoriam, vel hoc solo signo duobus Regnis potentissimis accedente; Mars nupturiens spondet posse iterari. Nam quid ego Serenissima Poloniæ & Sueciæ Regina sacri belli istius GallicoLechicam societatem exaggerem? Non Stephanos ego Godefridis, non Carolis Vladislaos faciam paralellos: quos Orbis Christiani delicias, & Turcarum exitium, in hac cõmuni Europæ desidiâ, Fama deprædicat gloriosè. Murus & Antemurale Christianitatis contra Machometanorum barbariem Polonia est. Conrados, Ludouicos, Bullionios, Priscorum vidit, & suspexit ætas, Orbis propugnatores, Carolum verò Niuerniæ Principem bellicosissimum, Sacræ illius Militiæ Ordinis authorem primarium, Tuum, Tuum inquam progenitorem; an non ad extinguendos Asiæ ardores, & Othomanicæ Lunæ Eclypsim, nobis Superi prouidissent, si (vt erat in fatis) ex illis regionibus pro Castore Pollucem cepissemus. Quos nobis è Saracenis triumphos, quæ Trophæa, quæ opima spolia attulisset ille Zelus, illa communis boni propagatrix vis, illud infractum in Machometis impietate euertenda, animi robur & magnitudo? Sed irreuocabile illud factum frustra requi-

requirimus: quod Patri fata destinârant, in Te nobis retributum admiramur. DEVS præpotens suiq; non immemor gregis pro Patrib9 suis, natos nobis Filios rependit: vt constituat eos Principes super nostram terram. Oramus superi & flagitamus vnanimes: vt nouis Auibus, nouisq; ominibus Regno huic Septemtrionis, ad euertendam potentiam Turcarum fatali, hanc Christianissimi cætus coniunctionem auspicatam concedatis. Leonum terris imperium, & Aquilarum ætheris Regnum, in aues vagas & Asiæ Harpyias, experti, fideles vobis & Ecclesiæ protectores, tribuite. Nos nec fatorum industriam aberrare, nec cælos fallere posse credentes, nouo ad nos conuolātium Aquilarum Leonumq; ostento id sperare audemus: dum primæuâ veluti Poloniæ instauratione melius auspicijs Gnesnensibus in Lechicum nidum nos superextrui aduertimus.

Eheu quo Cytharæ comes
Feror? ponè Tyram pone Borysthenis
Ripas, trans Mareotici,
Quò me Phæbe rapis, littoris accolas?
Hic hic deme humeris leues
Plumas, Carpathiis hic ego pendulas
Saxis stare volo notas:
Quas fœdus faciles rumpere Bistones
Campestresq; magis Scythæ,
Quas Balthim profugæ Nereides legant.

Hic

Hic, ex quo Volucres nouas,
Antiqui auspicij nobilior Remi
Auspex Sarmata conspicit;
Ex quo plus Gothicis nostra Leonibus
Splendent arma Poloniæ
Expectens fieri in prælia victima!
His his fulmineum breui
Venturum Laribus, cernis acinacem
His pro Lechiadum focis,
Custos excubias duplus agit Leo.
Orbis Fortia comprimens
Ergo præcipites cedite barbari,
Quo fugax rapit impetus,
Hostiles fugite & cedite Barbari

EX HELICONE SARMATICO

Sacræ Reginali Maiestati; Vladislaides offerunt publicæ Alacritatis & Lætitiæ Manipulum.

— — — Hinc Tibi Copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris, Honorum, opulenta Cornu. *Horat.*

Etiam iocosa post lachrymas cheli
Risère Musæ. Ducite Gratiæ
Festas Napæarum choreas
Ambiguos iterare gressus.

 Nunc

Nunc nunc choreis; nunc pede libero
Pulsanda tellus; nunc Saliaribus
Lustris coronari Vauelum;
Saxa per, & virides per algas
Inuitat vltro tempus, & vltima
Plausère vastis Acroceraunia
Iugis, & Augustos adorans
Iulius explicuit maniplos.
Meßiq; gaudens, vt Cerealia
Conspexit arma: Crescite, crescite
Exclamat, Obe iam sereno
Vester honos adoleuit ostro!
Pulchro ligantur fædere, stemmata,
Surgunt Polonis sceptra noualibus:
Iam iam Triumphalem trophæis
Lechia Ruricolam salutat.
Tum læta paßim iugera Regio
Coram Maniplo aßurgere gestiunt
Plausu coronatura herilem
Pro Phario Domini Maniplum.
Lætæq; tandem; Pierides suo
Dixère Phœbo: currite sæcula
Vis nulla: non feralis Arctos
Non metat hos Lachesis maniplos.
Quousq; nostris præses habebitur
Regina terris. Ludite ludite
Perennis æternùm fruatur
Obsequiis LVDOVICA Vestris

Andreas Sierakowski
Stud: Dialect.

LE-

LECHIADES
Sereniſſimæ Reginæ Liliis attexunt
CORONAS.

----*Prima Virentem*
Detulit ex Helicone perenni flore Coronam. Lucretius lib. 1.

Diffugére niues, redierunt gramina Campis
Sarmatiæq; Coronæ,
Mutat terra vices, & decreſcentia ripis
Flumina gratificantur:
Heroina Tuo quòcunq; affulſeris Ore
Vbere Gratia cornu
Implet agros, Villas recreat: mapalia ſurgunt
Fertilitate MARIæ.
Qualis vbi Rhodiis nata eſt Dea Pallas in oris,
Ohe! riſit Apollo.
Tunc bona Calliope aſpexit, tunc æthere ab alto
Obryzum depluit Aurum.
Exoriâre aliquis noſtra de plebe Deaſter
Noſtræ Palladi honores
Deproperans, Adamante nouo Viridiq; ſmaragdo
Qui Diadema reportet.
Vel Iagellonica facies de meſſe Coronam
Cæli Aſtræa Poloni.
Fallor! iam plenæ radiauit imagine Lunæ!
Partice prata Coronis.

Michael Zolkiewſki Stud: Rhet.

APOLLO
In Coronis Sereniſsimæ Reginæ æuiternitatem pollicetur.

Nectite nunc lætæ candentia fila ſorores
Nectite nemo modum tranſmiſſi computet æui
Hic vitæ Natalis erit *Statius lib. 1. Sylu:*

F Sunt

SVnt & meatum non vacuæ mihi
Laudum pharetræ. Pôrge reconditum
E nube Verticem, Polonis
Teste polo LVDOVICA; regnis.
Quisquam ne priscâ fulsit adoreâ?
Quisquam paratus viuere, pulchrius
Incepit! O Sacrum coronæ
Cresce meis Diadema Votis!
Maiore quondam quæ memorant tubâ
Seri nepotes: Te mihi BARBARAM
SISMVNDVS, & Te Rex Dabrowcam,
Auspicio meliore; Per Te
PVDICVS alter, Te sibi Coniugem
Elegit eius floris, vt HEDVIGIM,
Te rite VLADISLAVS alter,
Tu CVNEGVNDA meis secunda
Dicêre Musis. Ergo Perennibus
Inscribo Saxis: Hoc anathemate
Obligata VIVE, sæcla ludens
Lude vices. LVDOVICA, lude.

Constantinus Kuczewski, Stud. Pôeseos.

VIVE FORTVNATISSIMA VIVE
ET REGNA IN PACE IN IDIPSVM.
AD TOGAM, TE NOSTER HYMENEVS INVITAVIT,
VT IN LIMINE STATIM EDICAS
CEDANT ARMA TOGÆ.
GLORIA ET HONORE SARMATIÆ CORONARIS;
VT EIVS FAMAM & SECVRITATEM CVSTODIAS.
VERE REGINA VERE MATER
QVÆ, RENASCENTEM MANIPVLVM TENES;
QVIA PASCERE DECREVISTI.
AGGREDERE IAM FÆLIX FAVSTVMQ. IMPERIVM.
IAM THRONVM REGINA CAPESSE.
ET SIS BENEDICTA DOMINI,
VT IN NOMINE TVO BENEDICANTVR GENTES.

Impensis ex Fundatione Generosi ac Magnifici D. Bartholomæi Nowodworski *Equitis Meliten: Commend: Posnan:*